

XX.

22. Quoad Timiditatem, quam nostris vesana isthæc turba obijcit; Cecutit profectò illa & surdescit penitus, si de fortissimorum nostrorum constantia, nihil diu cognovit: Vel si novit, projecti certè pudoris ac extrema impietatis fuerit, præclarissima heroum istorum facta, vel oblivione sepelire, vel criminibus confictis, conspurcare velle.

23. Sed ad rem. Etsi sub consuetam quidem illam libri hujus Symbolici διχοτομίαν neuter Articulus venit: gemino tamen decursu ita procedit oratio: ut primùm κατ' ἄρσιν falsas ac erroneas justificationis nostræ causas removeat: Quæ pars ἀντιθέσεως vicem sustinet: Deinde verò κατὰ θεσιν, veram atque Orthodoxam nostrarum Ecclesiarum Confessionem exponat. Cujus Methodi situm nos quoque sequemur.

PARS ΑΦΑΙΡΕΤΙΚΗ, FALSAS justificationis causas removens.

24. Ἀρσιν his verbis Quartus informat Articulus: Docent Ecclesiæ nostræ, quod homines non possint justificari coram DEO, propriis viribus, meritis, & operibus.

25. Removet igitur ab ὑποτυπώσει ὑγιαίνοντων λόγων, tres falsas Iustificationis causas, quas Doctores Pontificij tùm propugnabant: nempe 1. Effici-